



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imagines Sanctorvm Ord. S. Benedicti

Stengel, Carl

[Ort nicht ermittelt], M.DC.XXV


VI. Septembris. S. Magnvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38356

S M A G N V S, S. Galli Monachus caelesti visione admonitus, peragratis pleribus regionibus, sparsaq; in iis Euangelii doctrinā, ad alpium Iuliarum fauces contendit; quo in itinere cæcum illuminauit. Agrum autem Campidonensem attingens, olim quidem cætu hominum frequentem, tum verò incultum & desertum; offendit vermium & serpentum colluue ac dæmonum infestatione ita horridum, vt nec feræ venatoribus elapsæ, nec homines casu edelati, tueri vitam possent à miserabili interitu. Quin & vterius progressus, in horribilem serpentem incidit, quem virtutē Dei enecauit; moxq; omnium serpentum & vermium monstra vniuersa disparuerunt, virtute ac potentiā orationum M A G N I expulsa. Repurgato autem ita eo loco, & ad habitandum accommodato, magna vicinorum gentilium turba ad Christum conuersa est. Veniens deinde ad locum Equicaput dictum, horridum & immanem draconem, sanctis reliquiis signoq; crucis munitus, precibus suis extinxit. Denum ad fauces alpium pertingens, monasterium extruxit, hodie *Füssen* nuncupatum, ibiq; magnas virtutes operatus est, cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum reddidit; truculentas quoq; feras obedire sibi fecit. aliaq; plurima edidit miracula, quibus magnam incolarum eius loci multitudinem, ad Christi fidem perduxit. Posteaquam autem XXV. annos in eodem cænobio vixerat, ætatis suæ anno LXXIII. viri Deo dilecti & sanctitatis laude celeberrimi anima, corpore leniter soluta, migravit VII. Id. Sept. in cælum; corpus eidem monasterio perpetuum relinquens ornamentum. Memoria verò eius vbiq; celeberrima est, ita vt propter continua miracula, quæ per eius V. Reliquias tam in agris quam in iumentis, & hominibus passim patrantur, XIV. SS. Auxiliariis, XV. sit adiectus, vt testantur non solum antiquissima

Missalia, verum & recentia PP. Prædicato-

rum.



S. MAGNE
 Abba, Fundator & Patronus Moñry Fießensis
 ora pro nobis.

VIII. SEPTEM.

A-